

Prima die libera post 5 aprilis.

IN FESTO

BEATÆ JULIANÆ

VIRGINIS

SANCTÆ NUNCUPATÆ.

Duplex.

Omnia de Communi Virginum præter sequentia.

Oratio.

Deus humilium celsitudo, qui beatam Virginem Julianam ad promovendum Sanctissimi Sacramenti cultum mirabiliter inflammasti: tribue, quaesumus, ita nos humilitatis ejus vestigia sectari in terris, ut cum ipsa sublimari mereamur in caelis. Per Dominum...

IN I NOCTURNO.

*Extra Quadragesimam Lectiones de Scriptura
occurrente.*

IN II NOCTURNO.

Lectio IV.

Vertente anno Christi millesimo centesimo nonagesimo tertio, nata est beata Juliana in Retinna humili pago Leodiensi parentibus religione conspicuis, quibus orbata quinquennis, sub disciplina religiosa in Cornèlii montis asceterio prope Leodium adolevit. In eo, adjuvante Spiritu Sancto, ita profecit, ut virtutum omnium culmen attigisse videretur. Sancti Augustini regulam, quæ in eodem monasterio vigebat, accurate professa, ac sororibus su-

is præposita, omnium in se oculos ex austera sanctæque vivendi ratione convertit. Præclara sunt quæ produntur, tum de ipsius in Deum et proximum amore, humilitate, obedientia, pietate et abstinentia, tum de orationis studio ac cælestibus charismatibus.

℞. Propter veritatem...

Lectio v.

Dum ad sacram synaxim accedebat, incredibili pietatis sensu et gratiæ donis replebatur. Sponsus suum cælestem sub Eucharisticis speciebus latentem frequenter invisibat, prona adorabat, et omnibus adorandum prædicabat: unde factum est ut Deus, qui infirma mundi eligit, humilem virginem ad promovendum sanctissimæ Eucharistiæ cultum mirificè inflammavit. Etenim coram augusto Sacramento provoluta, divinitus intelléxit, instituendam esse in Ecclesia singularem Corporis Christi solemnitatem. Quod cum viris piis et doctis declarasset, hi, re diligenter examinata, ipsa adhortante Juliána, Robertum Leodiensem episcopum adduxerunt, ut in sua Diocesi hoc festum institueret: quod postea Urbanus Quartus, antea Leodiensis Cathedralis Archidiaconus, auctoritate Apostolica adprobavit, et ad universam Ecclesiam extendit.

℞. Dilexisti..

Lectio vi.

Mortuo Leodiensi antistite Roberto in multas et graves tribulationes devenit Juliána: nam impiis factionibus monasterio cum suis sororibus expulsa, in necessitate extrema aliquandiu vixit, donec in Salsiniense monasterium excepta, inibi a gravissimis malis aliquantulum respiravit. Sed turbata iterum pace ex ingruentibus bellis, et disperso ipso Salsiniensi monasterio, in oppidum Fóssæ deducta,

aliquantò post lethali morbo corripitur, quo ingravescente, sacrosanctum Christi Domini Corpus in oppidi Ecclesia Collegiata sumpsit in Viaticum speciali cordis ardore. Tum in cellulam redux et sacro oleo inuncta, oculis in sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum defixis, anno ætatis suæ sexagesimo sexto piè obdormivit in Domino. Juliána corpus in cænóbium Villariense Monachorum Cisterciensium, ut ipsa expetierat, fuit translatum, ubi miraculis claruit.

℞. Afferentur...

IN III NOCTURNO.

Lectioes de Homilia in Evang. Simile erit regnum cælorum...


Missa Dilexisti, ut in Communi Virginis tantum.

DECRETUM.


Ut amantissimi Servatoris nostri in Eucharistia latentis veneratio magis ac magis in dies ubique locorum crescat, ferveat et dilatetur, Serenissima Belgarum regina, necnon Reverendissimi Archiepiscopus Mechlinien. et Episcopi Belgii à Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX supplicibus votis postulaverunt, ut festum cum Officio et Missa in honorem Julianæ virginis Cornelionen. Sanctæ nuncupatæ, quod ex indulto Apostólico in eodem regno atque alibi quotannis peragitur, ad totam extendere dignaretur Ecclesiam, ut sic ampliori cultus honore illa decoretur, quæ eximio charitatis ardore solemne festum Corporis Christi in universa Ecclesia institui prima omnium in votis habuit ac pro viribus curavit. Humiles has preces Sanctitas Sua benignissime excipiens, easdem ad Sacram Rituum Congregationem Ordinariam remittere dignata est. Hæc autem ad Vaticanum hodierna die coadunata, audita relatione facta ab Emo. et Rmo. Domino Cardinali Hannibali Capalti, hujus Causæ Ponente constituto, perpensens publicum cultum prædictæ Beata Julianæ in pluribus Europæ regionibus ab antiquo præstitum, iterum iterumque à Romanis Pontificibus vel Reliquiarum diribitionis permissione vel largitione indulgentiarum vel etiam concessione Officii et Missæ ratum, habitum ac approbatum fuisse, rescribendum censuit: *supplicandum Sanctissimo pro concessione Officii et Missæ, singulis Ordinariis penitentibus: quoad Officium vero et Missam ad Emm. Ponentem cum Promotore fidei: Die 3 julii 1869.*


Facta autem de prædictis Sanctissimo Domino nostro Pio Papæ

IX per infrascriptum Secretarium fidei de omnibus relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit; approbavitque supradictum Officium cum Missa in honorem ejusdem beatæ Julianæ assignandum perpetuo singulis Diœcesibus, quibus in posterum illud indulgeri contingerit, sub ritu duplici minori diei quæ post V. aprilis prima occurreret in calendario Diocesano libera à quovis festo novem lectionum; ac servatis in reliquo Rubricis.

Die 8 tisdem mense et anno.—C. EPISCOPUS PORTUEN. ET S. RUFINÆ CARD. PATRIZI S. R. C. PRÆF.—Locus  sigilli.—D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

BARCHINONEN.— Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter à Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX, tributis, ad enixas preces Rmi. Dni. Joachimi Lluch Episcopi Barchinonensis benigne annuit, ut amodo in Calendario Diœcesano Festum beatæ Julianæ Cornelionensis virginis sub ritu duplici minori affigi valeat diei primæ liberæ in Calendario ipso occurrenti post diem V aprilis, et cum Officio et Missa ab eadem Sacra Congregatione approbatis die 3 Julii 1869, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Augusti 1876.—C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI S. R. C. PRÆF.—Locus  sigilli.—Plac. Ralli S. R. C. Secretarius.—Barchinone 20 novembris 1876.—Imprimatur.—JOANES DE PALAU ET SOLER. V. G.

ILLERDEN.— Sacra R. C., utendo facultatibus sibi specialiter à Smo. D. N. Pio Papa IX, tributis, ad enixas preces Rmi. Dni Thomæ Costa et Fornaguera Episcopi Ilerdensis benigne annuit ut amodo in Calendario Diœcesano Festum Beatæ Julianæ Cornelionensis Virginis sub ritu duplici minori affigi valeat diei primæ liberæ in Calendario ipso occurrenti post diem V Aprilis, et cum Officio et Missa ab eadem Sacra Congregatione approbatis die 3 Julii 1868, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque die 21 Augusti 1876.—C. Epus. Ostien. et Veliter. Card. Patrici S. R. C. Præf. Locus  sigilli.—Plac. Ralli S. R. C. Secrius.

SUPER. PERMISSU.

ILLERDÆ:—TYP. LAURENTII COROMINAS.